

tur tota legis lectio. Et ita Prophetarū lectio pariter istis paraschios, hoc est, diuisionibus. Ex Prophetarum scriptis totidem addiderunt Haphtoros. Sic totum biblicum corpus curriculo anni poterant absoluerē. Cuius vestigia adhuc habemus in contextu: nam triplex Pe grande ita: P P P talem diuisionem significat: & sæpè minutum ponitur, quod significat pesucha, hoc est, *lectionem apertam*, seu finitam sententiam. Interdum notatur Samech quod significat parascha sduma, hoc est, *clausam sententiam*, lectionem, seu diuisionem nondum absolutam, neque integram.

## TITVLVS LIBRI

### GENESEOS.

**T**ITVLVS libri huius apud Hebræos ab initiali dictione, *Breschit*, nominatur, quod seruatur etiam in sequentibus libris Mosis. In reliquis deinde denominantur seu ab ipsis historiis, seu personis scribentium, seu quarum res gestæ describuntur: Libri verò Prophetarum singuli à propriis autoribus nominantur. Græci hunc librum, *Genesin*, appellant, quem titulum etiam Latini retinuerunt. Sumpta est denominatio à principali materia: nobilissimum enim est opus creationis, & admirandum sapientiæ diuinæ argumentum.

Sonat